



**Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Doctrina 4. Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Deuteron. in quibus describitur  
Moysis à terra promissa exclusio. Legis olim jain datae, quando Deus in  
flamma apparuit, repetitio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](#)

volabunt stygiæ hæ aves ; adeoque certandum tibi erit cum innu-  
meris, qui laboriosus ante unum habueras inimicum.

## Doctrina 4.

*Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Deuteron. in quibus describitur Moysis à ter-  
ra promissa exclusio. Legis olim jam data, quando Deus in flamma ap-  
paruit, repetitio.*

**C**onsidera I. ET simul obstupesce: quod Moyses charissimus Dei sa- N. 174.  
**E** mulus, tot annis summâ prudentiâ regens Populum,  
ad terram Chanaan ducendum, tot labores pro gloria Dei æquò ani-  
mô perferens, tot molestias vincens : cùm summô teneretur deside-  
riô ingrediendæ Terræ Chanaan à Deo promissæ, & repetitîs vicibûs  
pro hac gratiâ fieret supplex, repulsam pati cogatur, his verbis expre-  
sam : *Nequaquam ultra loquere de hac re ad me.* v. 27. citati cap. Quid  
quæso caute latet: Deum erga servum tam benè de se meritum, adeo  
(si fas est loqui) durum se monstrare ? videtur hoc dubium claris re-  
solvere verbis clarissimus Doctor Petrus Cellens. dum lib. de pan.  
c. 11. hæc scribit : *Omnipotens & misericors Deus idcirco terram morientium  
negat, quia ad cœlum Moysis animam sublevat.* q.d. taliter erga fidelissimos  
sibique charissimos Deus se gerit servos: denegat ipsis terrestre Cha-  
naan, transitoriô deliciarum melle ac lacte fluens, ne eō fruentes pe-  
riculum subeant perdendi cœleste. Id jam olim probaverat in Abra-  
hamo, quem idcirco è paternis evocavit laribus Genes. 12. imperans:  
*Egredere de terra tua &c.* at quô aliò fine, nisi quem verba immediate  
subnexa exprimunt? & *veni in terram, quam monstrabo tibi &c.* Hoc ipsum  
strenue declarans S. Chrysost. Homil. 1. in Matth. afferit : *ut sciant  
omnes, quicunque voluerint esse filii Abrahæ, & terram hanc promissionis accipere,*  
*de qua scriptum est : credo videre bona Domini in terra viventium ; quoniam  
bona sua debent contemnere, sicut Abraham terram suam contempserit.* S. Franci-  
scus Sales. p. 1. lib. 2. de amore Div. quarundam meminit avium,  
quas Apodes vocant, instructas tibiis valde brevibûs, & pedibûs omni  
virtute vigoreque destitutis: hinc si aves illæ aliquando se in terram  
demiserint, quietem ibi capturæ, se denuò ad volandum erigere non  
valeant, crocitandò morituræ. Talium volucrum naturam imitari  
ait animas Christianorum : hæ si affectu inordinatò temporalibus

H h 3

Bonis

Bonis adhærent, illicò futuro vita & felicitatis æternæ obliviscantur, haud aliter quam crocitandō morituræ; dum temporalibus rebus penitus immersæ, vim roburque gratia perdiderunt, per heroicos virtutum actus ad coelestia sese elevandi, dilatâ usque ad finem vita pœnitentiâ. Quare o Christiane! acquiesce consilio S. Hieron. ad Exuperant. Scribentis: *Projice sarcinam seculi, & ne queras divitias, que camelorum pravitatibus comparantur. Nudus & levis in calum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera. Non ægrè feras, si faustos, si voluptuosos, si divites à Deo dies in hac terra petens, repulsam cogaris cum Moysè ferre. Ascende cum illo Montem vitæ spiritualis, moriturus ibidem Mundo, ut vivas æternum Cœlo.*

N.175.

*Considera 2. Moysen divinæ Visionis, quæ contigit in Rubo ardente hic recordantem, erudire Populum; quomodo Deus eidem omnem Idolatriæ occasionem è medio sustulerit. Enim verò si apparuisset in Throno eburneo, cedrino, vel aureo, videretur forsan occasionem aliquam dedisse, talibus magni pretii materiis divinum impendendi Cultum, fabrefactis exinde Idolis: hinc perditio tua exte o Christiane! si à Deo verò declinans, adores Idola creaturarum. Cogita quæso; animam tuam eti nobilissimam non aliò fine infusam esse Luto, quam ut vilissimi Domicilii sui memor, omni careat causâ, debitam Creatori suo subjectionem denegandi. Cogita; quomodo Deus tot rerum vicissitudines admittat in terra, ut nec minimam in ea constantiam queras, sed hanc credas, in solo Deo inventiendam. Cogita: quomodo in Sacratissimo Eucharistia Sacramento singulis momentis tibi praestò sit, ut ansam non habeas conquerendi, te ab ipso derelictum, confugere debere ad creaturas, earum ope & auxiliò fruiturum. Certe nolis, velis exclamare cogeris. Hic cum Moysè v. 7. capitulū cit. *Nec est alia Natio tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Et iste Deus vocat se Ignum. v. 24. Significaturus per hoc: se instar hujus elementi in continua versari operatione, tecum concurrendō in omnibus, quin etiam inflammāndō te, ut amore ipsius ea bene & meritorie peragas, versu adhac 25. *Æmulatorum* se nominat: ut intelligas, quam ægrè ferat, si creaturam ei præponas, in cuius gratiam operis..*

FASCI-